



Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors

Cabilliau, Baudouin

Lovany, 1642

Elegia 3. Ioannes ardet materno gremio prorumpere; vt Christum coram salutet. Ioannis Qverimonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70001)

Altera nunc facies, nunc vertitur alter & ordo.
 Præcoce iam gestis spe celer astra sequi,
 Scilicet ægregijs cui vis viget enthea flammis,
 Ire paras rapido pulchra perausa gradu.
 T'en retrahat nexus, longæque coërceat horæ
 Circulus, ardenti quem Deus ore trahit?
 Non ea mens puero. primo qui maximus ævo es,
 Sustineas arcto carcere parue premi?
 Sed quid agas? captiua negant vestigia cursum.
 Lingua tenax vocem; viscera clausa viam.
 Callidus, es noui, quantumuis vincula stringant;
 Erumpet roseo carcere victor amor.
 Grassatur ferreo ille gradu per tela, per ignes;
 Nec teneri vincet mollia sepra sinus.
 At cecidit spes cassa, tenent, longumque tenebunt
 Vincula pennatos insidiosa pedes.
 Sed quid vincla nocent? geminos vt vinxit amantes
 Qui stat Amor mediâ compede, liber abit.

Elegia 3.

Ioannes ardet materno gremio prorumpere;
 pere; vt Christum coram salutet.

IOANNIS QUERIMONIA.

D Extra benigna mei mihi si quid donat IESV;
 Inuida fors læuo stans pede ferre verat.
 Plura tui tenero bona quam quis credat, in ortu;
 Et quam quis credat, vincula plura fero.
 Scilicet includunt arctis imperuia claustris,
 Viscera me, blando quem puer ore vocat.
 Non tulit hoc, animo qui viuividus excubat, ardor;
 Nec feret infestas ianua clausa minas.
 Rete scarus, caueam captiua lacessit aëdon,
 Agnus & è septo liber in arua ruit.
 Idalium fidus medijs erumpere nimbis
 Gessit, & aura breui nescit in orbe premi.

Et premar ac perimat? mihi mors breuis ista sub aluo
 Fit domus ah! lucis spes vbi nulla micat.
 Si sim stella; prius quam sol caput exserat astris,
 Fulsero nunc. orto fulgere sole nefas.
 Vos ô felices animæ! contingere I E S V M
 Queis datur; infelix ast ego vincula traho.
 Quæ nondum peperit, mihi mater acerba dolores
 Quot parit, omne fugę dum mihi claudit iter!

Elegia 4.

Ioannes pugnat in vtero materno vt
 exeat, & Christo præcurrat.

Magnus vbi paruum properas inuisere fratrem,
 Adspirans oculo iam propiore iubar:
 Ardet hic, indignamque arctâ luctatur in aluo,
 Oppugnansque fores irrita bella mouet,
 Iamque ferox animi partes se versat in omnes,
 Vota sed in læuam non benè dextra cadunt.
 Quid? fedeat surdo sub carcere vincus, & infans
 Interpretis verbi lacteus? ite more,
 Stat noua cepta sequi pulchrum meditata triumphans
 Vt pæana canat, vox modò muta puer.
 Inuia claustra redux validis adsultat in armis,
 Rimaturque cauum paruulus hostis iter.
 Alternò teneros rursus quatit impete muros,
 (Pes aries, varias doctus obire vias.)
 Rursus at in vanas fractus ruit imperus iras,
 Spes in vota redit irrita; bella silent.
 Quid faceret viuâ captiuus compede miles?
 Multa gemens aliud tentat, & vrget iter,
 Et licet agnatas accudat noxa catenas,
 Emicat in tacitas libera lingua preces.
 Heu! quid adhuc lentas tardat nox inuida lunas,
 Et fraudat celeres ad pigra fræna rotas?
 Et tot auara breui claudit mors vota sepulcro,
 Spemque intempestâ nube sepulta premit?